



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118448**

§. 109. Consalvus apud Ferdinandum diffamatus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

Sæcul. XVI. pro suo, suorumque discessu cuncta pa-  
A C 1506. rari præcepit; hæc iussa exequi oportebat, ac Regina iter arripiente, omnes ejus Aulici illam sequi debebant, quo profectura esset, ignari, & fors ipsamet illius inscia. Tandem ad Miraflorenses Carthusianos contendit, Mariti sui feretrum abductura, illudque quadrijugo curru post rhedam suam devehit; demum Proceres ei auctores erant, ut Vallisoletum peteret: ast medio itinere confecto Turrim-crematam perveniens, ibi sedem figere constituit, in quo pago vigesima post die, decima quarta Januarii, Anno Salutis millesimo quingentesimo septimo Filiam enixa est.

## §. CIX.

*Consalvus apud Ferdinandum diffamatus.*

*Marian. l. 28*  
*num. 104.* Ferdinandus pace cum Archiduce composita, præsentiam suam Neapolitanis rebus necessariam ratus, priusquam in Arragoniam reverteretur, eo ire decrevit; graves enim adversus Consalvum deferebantur querelæ, unde rei veritatem penitus inquirere, plurimum Regis intererat. Accusationum capita ea erant præcipua, I. Consalvus, inclytus hic Bellidux, clandestina cum Gallis fovisse foedera accusabatur. II. Idem postul-

stulabatur, quod conciliatore Papiensi Sæcul. XVI.  
 Cardinale societatem cum Papa inierit, A. C. 1506.  
 quin etiam oblatum sibi a Papa Eccle-  
 siastici exercitus imperium acceptavit,  
 ut tam Bononiam, Joanne Bentivolio  
 inde depulso, quam Bononienses a Papæ  
 imperio avulsos rursus Ecclesiæ ditio-  
 nibus adjungeret; III. In simulaba-  
 tur etiam, quod is cum Columnensibus  
 amicitiam restaurare voluerit, ac pro-  
 pterea suam filiam Prosperi Columnæ Fi-  
 lio junxerit, ut potentissimis hujus fami-  
 liæ amicis sibi conciliatis parta tueri,  
 atque adversantis fortunæ casus sibi  
 jamjam imminentes securius eludere  
 posset.

§. CX.

*Consalvus amissa Ferdinandi gratia  
 omnibus officiis spoliatus.*

Hiscæ querelis commotus animo Fer-  
 dinandus Barcinonem contendit, ac Marian. l. 28  
 classem quarta Septembris die conscendit, et 29.  
 comitantibus eum Germana Regina  
 sua Conjuge, utraque Neapolis Regina,  
 ac innumeris ferme Proceribus. Con-  
 salvus, cum Regem Barcinone abiisse in-  
 telligeret, & ipse Neapoli discedens, ma-  
 ri ventis inflato, Cajetam terrestri itine-  
 re profectus est, ubi triremes præstola-  
 turus substitit, inde vero die vigesima  
 Septem-